diuiſibilis, orbis autem diuiſibilis: ex indiuiſibili autem indiuiſibili fiant magis indiuiſibile quam ex uno indiuiſibili & altero diuiſibili, ideo ex abſtracto, & abſtracto fit magis indiuiſibile, & per conſequens magis unum, quàm ex intelligentia & orbe. accedit quòd cum talis abſtractorum compoſitio ſpiritalis ſit, in ea minor eſt diuerſitas, cum intellectus aliquomodo intelligibile fiat, quàm in compoſitione reali ex materia & forma, in qua neque materia, forma, neque hæc materia effici poteſt, & hæc circa præſentis propoſitionis expoſitionem dicta ſint, in qua habes quòd triplex eſt unionis & compoſitionis gradus, primus quidem & ſupremus ex abſtracto, & abſtracto: ſecundus ex abſtracto & corporeo: tertius & infimus ex corporeo & corporeo, ut ex materia & forma materiali.

Mutatio ſecundum totum, non manente ſenſibili ut ſubiecto eodem, generatio, & corruptio eſt.

MONITVR definitio hæc primo De gene. contex. 23. quæ cum hactenus ab aliis non rectè fuerit explicata, tã dilucidare decreui. In qua ſanè dilucidanda quatuor à nobis perpendenda ſunt: primo quidem an definitio hæc ſit generationis tantum, an generationis & corruptionis ſimul: Secundo, an conueniat generationi & corruptioni cuiuslibet ſubſtantiæ generabilis & corruptibilis: tertio, tota explicabitur definitio: poſtremo quædam perſoluetur dubitatio. Quò ad primum attinet, mea eſt ſententia, hanc non eſſe definitionem generationis tantum, ut communiter dicunt interpretes, ſed definitionem generationis & corruptionis ſimul, ut ex ipſomet Ariſtote. probatur eo loco, ubi inquit, mutatio ſecundũ totũ non manente ſenſibili ſubiecto eadem generatio, & corruptio eſt. perpende diligenter uerba iſta, quoniam non inquit mutatio ſecundum totum generatio eſt, ſed inquit mutatio ſecundum totum, generatio, & corruptio eſt. ut cum ex ſemine ſanguis, & ex aere fit aqua: mutatio enim ſecundum totum aeris pariter & ſeminis non manente ſubiecto eodem corruptio eſt. mutatio uerò ſecundum totum aquæ & ſanguinis generatio eſt. igitur denitio iſta generationi & corruptioni communis eſt. præterea ſi hæc corruptioni communis non eſt, quænam ergo erit definitio corruptionis? huius enim rationem explicare propoſuit Ariſtote. in contex. primo primi libri, & ſe eam explicaſſe aſſeruit in contex. 24. & in epilogo facto contex. primo ſecundi libri: Nec profectò dici poteſt hanc eſſe corruptionis definitionem. corruptio eſt mutatio non ſecundum totum, manente ſenſibili ſubiecto eodem, quoniam non diſtingueretur ab alteratione, nam & alteratio eſt mutatio